

sum continet, nec alterius cujusquam intelligentiae fines invadit. Non enim quod ad eos, ad quos Idumaeorum nomen transferimus, quaedam hujus vaticinationis proprie pertinere affirmamus, idcirco allegoricum sensum inducimus, aut cum historia allegorias miscemus. Allegoria enim haec in nomine est, non in re ipsa, estque ea ab historia, historicoque sensu non aliena: nam historia verbis, cum propriis, tum translatis conscribitur. At si haec ratio vatum scripta exponendi admittatur, Idumaeorum, exempli gratia, vocabulo, vel Persas significatos dicemus vel Judaeos, vel pro nostro arbitrato quidvis aliud. Si causa subest, dicemus recte; sin pro libidine, prave. At hic nulla subest causa. Imo subest maxima, uti ex iis, quae diximus, constat. At quis credat Abdiam duas simul gentes, quas ambas uno significet nomine, unam proprie, translate alteram in suam vaticinationem conjicere, et ab una digredi ad aliam, et rursus ab ea ad priorem regredi? Quis? Qui diligenter in vatum scriptis versatus erit: qui, quae sit vaticinationum ratio atque vis, satis intelliget: qui sciet multa atque varia, et cum locis diversa, tum divisa temporibus vatum cogitationibus uno et eodem tempore subjici: qui denique eorum dicendi morem satis calluerit. Nonne Esaias isto loquitur modo? Nonne Zacharias in I, in XII, in XIII et XIV, historiam saepe verborum velat allegoriis? Verum, inquit, artificium olet hoc genus, illud autem alterum, quod semel institutum argumentum ad extremum exequitur, simplicius, et verius videtur. Theodorus quidam ita censebat, quem Vigilii, et Ecclesiae judicia dannarunt. Quare si hoc scribendi genus sacri vates ut suum et proprium asciscunt, sique id Ecclesia Origeni suffragata probavit, nos exequamur institutum argumentum, illos autem sua adamare sinamus. Itaque jam hujus vaticinationis singulas partes, singulaque verba exponamus.

VISIO ABDIAE

D. Hieronymus in prologo eorum commentariorum, quos edidit in Naum prophetam, significare videtur, Prophetas, cum adversus aliquam, vel civitatem, vel gentem vaticinantur, suas vaticinationes solere appellare onus: sicque eas inscribere: Onus Babylonis: onus Tyri; ut et ipse, in quem commentabatur, Naum fecit dicens, onus Ninive, quia scribebat in Ninivem. Ex quo quis fortasse merito dubitet, quare Abdias hanc vaticinationem suam, qua tota in Idumaeos invehitur, non appellarit onus, sed visionis ei nomen indiderit. Cui quaestioni D. Hieronymus ita hoc loco respondet, ut dicat, quamvis ista dicantur in Idumaeos, tamen onus non debuisset dici, propterea quod Edom non sit alienus a Judaeis, neque contineatur in exteris gentibus, sed ad Jacobum, et ad ejus familiam pertinere videatur, quod illius frater germanus fuerit. In quo ille significat Prophetas iis, quae contra Judaeos vaticinantur, etsi tristibus et luctuosis, onus nomen non indere. Quod haud scio utrum sit recte observatum. Nam apud Esaiam certe, onus vallis visionis dicitur, quod perspicuum est dici adversus Hierosolymitas Judaeos. Quare ipsis Hieronymus isti suae sententiae non satis, ut videtur, confisus, secundo id, quod probabilius esse puto, respondet, non esse scriptum, Visio Edom, sic enim si scriptum esset, locus esset quaestioni, quare scriberetur visio et non onus, cum de interitu Edomis, et de illius ageretur casu acerbo, atque lugubri: sed esse scriptum visio Abdiae, quod perspicuum est, pro vatum scribendi consuetudine, recte dici potuisse. Nam quae vaticinationes onera sunt Edom, eae sunt visionis Abdiae. Itaque ad eos relatae, contra quos dicuntur, onera sunt, ad illum vero, eas qui scribit et videt sunt visiones. Vident

enim prophetae, quae aliis eventura sunt mala. Quod et in ipso Naum videre licet, nam quod initio onus vocavit Ninive, id paulo post, suimet qui videbat rationem habens, visionem appellavit sic dicens: Onus Ninive, liber visionis Naum. Praeter haec, potest etiam tertio dici, et ut mihi videtur recte atque vere, ista quamvis adversus Edom dici videantur, et specie luctuosa sint atque tristia, non dici onus tamen quia ipsis, contra quos dici videntur, re ipsa futura erant salutaria atque laeta. Nam infideles eos, atque impios, qui Edomis significati nomine, a Christo praedicuntur delendi, ita Christus superavit, et vicit, ut in maxima eorum parte, ipsis incolumibus, atque salvis permanentibus, impietatem tantum extingueret, atque aboleret ipsorum: hoc est, vicit in ipsis mala, quae inerant, quaeque ipsos misere oppressos tenebant, et ab impietate morteque ad lucem Evangelii eos, et ad felicem vitam traduxit.

I.—Visio Abdiae.

Sed cur obsecro suas vaticinationes visiones nominant fere omnes Prophetae, etiam quando nulla visa connumerant, sed audita tantum referunt, ut hic refert Abdias? Atque, quo magis pateat, quam id jure quaeratur, debet adverti, sacros vates, ut ea quae futura sunt, et videre ipsi, et praedicere nobis possint, duabus rebus divinitus deberi instrui (1): primo imaginibus earum rerum, quas visuri sunt: deinde lumine majore quodam, quo eas imagines videre, et de eis sine errore possint judicare, et quantum ad imagines attinet (imagines autem nomino quidquid animis vatum objici potest apprehendendum, ut in eo id quod est futurum inspiciant, sive species id nova sit, sive veterum specierum novus ordo, sive sonorum atque vocum imagines) itaque, quod ad imagines attinet, advertendum

(1) S. Tho. xxii, q. clxxiii, ar. ii.

est earum plura esse, atque varia genera, eo quod non semper pellantur vatum mentes unius generis imaginibus. Nam sunt, qui visis per quietem moventur ad cognoscenda futura; sunt qui vigilantes ea vident, sed per imagines externe ipsis objectas sic ut percipere oculis eas possint. Ut Daniel in adverso pariete quaedam divinitus descripta vidit nomina, quibus intellexit praedici Regni Babyloniorum interitum. Sunt quibus interne imagines occurrant, quique eis imaginibus, quamvis oculis clausis multa clare videant, longe postea futura, quales imagines pleraeque earum fuerunt, quae objectae fuerunt Danieli, quaeque Esariae, Jeremiaeque, et Ezechieli prophetae sunt visae. Et certe universa illa, quae Joannes in Apocalypsi vidit, ad hoc unum imaginum genus pertinent. Sunt denique quibus imago nulla neque interne, neque externe objicitur, aut occurrit; itaque nihil ipsi vident, cognoscunt autem ea, quae futura praedicunt, eo quod ea futura audiant ab eo, qui cum ita interius, et in animo ipsorum loquuntur, ac si palam exteriusque cum ipso congressi sermones mutuos conferrent. Quae universa, quamvis partibus varia et multiplicia, tamen tribus tantum generibus comprehensa sic ea nominant sacrae Litterae, somnium, visionem, loquutionem, sive sermonem, ut liquere ex illo potest, quod in libro Numerorum scribitur (1): «Siquis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea est fidelissimus, ore enim ad os loquar ei.» Ex quo sequitur omnem illustrationem prophetica vel ad somnium, vel ad visionem, vel ad sermonem reduci, tametsi Jeremias somnii tantum, atque visionis mentionem fecerit in vigesimo tertio (2): «Propheta, inquiens, apud quem est somnium narret somnium, et apud quem est verbum meum narret verbum», id, opinor, sequutus quod verbi vocabulo, cujus signi-

(1) Num. xii. (2) Jere. xxiii.

ficatio tam late apud Hebraeos patet, duo posteriora genera, visionem sermonemque comprehendi censuerit. Porro inter haec somnium infimum est, visio medium obtinet locum, sermo autem ad altissimum prophetiae genus, atque simplicissimum pertinet. Ex quo et Moyses, quicum ore ad os, et non per visionem aut somnium Deus loquutus dicitur, et David Rex, qui de se sic, ut scribitur, cecinit (1): «Mihi loquutus est fortis Israel, sicut lux aurorae oriente Sole mane absque nubibus rutilat,» praestare atque eminere inter omnes prophetas putantur. Sed quoniam illustrari per quietem a Deo vates solere diximus, idque illustrationis genus appellavimus somnium, nequis subesse error possit in nomine, illud adjicimus, quod et ante nos recte, ut mihi quidem videtur, tradiderunt nonnulli: quoties in sacris Litteris legimus insomnia divinitus immissa aliquibus fuisse, eos, quibus immissa illa sunt, non statim pro prophetis habendos esse. Nam et cum Labam, et cum Achimelech congressus Deus dicitur per quietem in Genesi, quorum tamen, ut constat, neuter propheta fuit: sed hoc discerni posse insomnia vatum a caeteris, quod cum vate Deus loqui per somnium dicitur, cum aliis vero, quos vates non efficit, tametsi insomnia immittat illis, non loqui Deus dicitur, sed venire potius scribitur per somnium ad illos. Itaque eos, ad quos per somnium Deus venit, non illustrari prophetico lumine, neque arcani quidquam, aut post futuri illis ostendi, sed de privata aliqua ipsorum re, ac de eo quod ipsi vel facere, vel cavere debeant, admoneri. Contra, quibuscum Deus per somnium loquitur, aut loqui dicitur, eos magno imbui lumine, vereque vates esse atque dici. Quae idcirco a nobis commemorata sunt, ut ex his perspiciatur quam ob causam quaeratur, cur Abdias, qui nullam neque externam, neque internam imaginem se vidisse conscripserit, suae tamen vaticinationi visionis nomen indiderit. Nam

(1) II Reg. xxiii.

cum sit vaticinationi unum genus quod appellatur visio, quodque objectu imaginum constat: alterum autem quod nominatur loquutio, quod in eo sine adhibita imagine Deus cum propheta sermones conferat, ad hoc certe genus posterius imaginibus vacuum haec Abdiae scripta debuisse videbantur referri.

Ad hoc igitur respondendum primo est: Quamvis unum prophetiae genus proprie appelletur visio; tamen in universum omne genus prophetiae visionem appellari, et posse, et solere propter certitudinem rerum, quas praedicunt prophetae. Nam e sensibus visus est, qui falli minus potest, unde et fideles oculos appellat poeta, eo quod minime fallant: propheticae autem cognitioni et praedictioni falsum subesse nequit, ex quo merito prophetia omnis oculis comparatur, visioque dicitur cujusvis illa sit generis. Itaque prophetas omnes nullo discrimine videntes dici solitos sacrae Litterae tradunt (1). Praeterea etiam dicatur, id prophetiae genus, quod nominatur loquutio, quamvis sic nominetur, visione tamen constare ipsum, ac propterea eo etiam nomine recte posse censer. Nam praeclare D. Basilius: vox, inquit, Dei est diversi generis ab eis vocibus, quae in audiendi sensum cadunt: fit enim cum mens hominum, quos ille suam percipere vocem vult, visione quadam informatur, haud fere aliter quam in somniis accidit; nam ut in iis secundum quietem animus noster quorundam veluti verborum memoria imbuitur, non pulso aere externo, neque voce ulla illapsa in sensum audiendi, sed ipsa mente notis quibusdam rerum signata, informataque, talem existimandum est Dei esse vocem, quam audire memorantur prophetae. Postremo etiam dici potest pro visione, quod noster vertit interpret, esse Hazon in Hebraico, nomen ductum a verbo הזה Haza, quod prospicere proprie significat, et in eo vere dicitur, quod longe antequam eveniat

(1) I Reg. c. ix.

eventurum videtur. Ex quo vaticinationes recte dici visiones, id est, praevisiones et, si ita loqui licet, prospicientias, quod sive in somnio, sive imaginum objectu, sive sermone interiori illustretur propheta, tamen posteaquam illustratus est, certe jam praescit, atque praevidet futura ea de quibus est edoctus divinitus. Et certe si visio, ex Hebraeo interpretatum verbo, est praevisio, id est, anticipata visio eorum, quae post multum sunt eventura temporis, ex eo jam reddi causa potest, quare Prophetae non omnes vaticinationes suas, sed earum aliquas inscribant visiones. Illas enim praecipue isto nomine inscribunt in quibus vaticinantur de Christo, aut de eo quod ad Christum, atque ad Christi Ecclesiam pertineat; quod ab aetate eorum id tempus, in quo istae res futurae erant, maxime omnium distaret. Est enim id tempus ultimum atque novissimum, itaque appellatur in sacris Litteris, ut apparet in illo, quod ad Hebraeos scribitur (1): Novissime autem in diebus istis loquutus est nobis in filio; cujus vim verbi atque usum ad eas vaticinationes, quae de Christo sunt, notandas accommodatum expressit D. Paulus cum ad Hebraeos de iis Patribus (2), qui tempore mosaycae legis vixerunt, et de Christi rebus, scribit. Sed a longe eas aspicientes (3), et salutantes. Similiterque Balaam vates in illo: «Videbo illum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope: orietur stella ex Jacob.» Quare quod supra diximus, quodque pluribus etiam confirmavimus argumentis, his scriptis Abdiam non tam Idumaeorum casus varios praedicere, quam eorum, qui figurate Idumaei sunt, id est, impiorum omnium, exponere, quos universos Christus ad extremum deleturus est, vel ex hoc ipso, quod modo dicimus, verum esse probetur. Est enim visio vaticinatio haec, id est, praevisio, id est, rerum a Christo gerendarum adversus infideles atque im-

(1) Hebr. i. (2) Hebr. xi. (3) Num. xxiv.

pios, longe antequam gerantur, cognitio atque praedictio. Ergo inquit.

2.—Visio Abdiae. Haec dicit Dominus ad Edom.

Ut conciliet auctoritatem vaticinationi suae, utque se ostendat non furore percitum, sed a Deo inflatum ista scribere, ea Deo ascribit in ipso statim orationis initio. HAEC, inquit, DICIT DOMINUS, quo etiam auditores commovet ad audiendum attente. Nec enim Dei sermones qui sunt, auf negligi possunt, aut languido animo audiri debent. Valetque praeterea hoc ad exemplum, quod imitentur omnes, qui docendi exercent munus, ut ea semper tradant atque populos doceant, non quae ipsi sibi finxerunt pro sua libidine, sed quae hauserunt ex doctrina atque ex scriptis divinis. Nam qui contra faciunt, grave scelus concipiunt: primo quia sub specie verbi Dei sua figmenta invehunt, in quo ipsi verbo faciunt gravem injuriam: deinde quia suam rem, et non Christi agunt, Christi ministros se esse professi: postremo quia populos, quos erudiendos suscipiunt, magis caecos reddunt. Itaque graviter in hos invehitur Deus per Jeremiam in cap. xiv et xxiii (1), et praecipue per Ezechielem in xiii (2), qui inter alia plura et haec dicit: «Vident vana et divinant mendacium dicentes, ait Dominus, cum Dominus non miserit eos.» Et paucis interpositis: «Ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus, et erit manus mea super prophetas, qui vident vana et divinant mendacium: in concilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, neque in terram Israel ingredientur, et scietis quia ego Dominus Deus.»

Quod autem sequitur: AD EDM, eo dicitur, ut significetur, ad quos haec prophetia pertineat. In quo adverti certe debet, pro AD latino non poni in hebraeo על, quod est super,

(1) Jere xiv et xxiii. (2) Eze. xiii.

aut adversus, aut contra, sed poni particulam *h*; itaque verti utrovis modo posse, ad Edom, vel de Edom; idque in bonam partem solere accipi, ut in titulis psalmorum apparet, et praecipue in LXXI (1), qui inscribitur Salomoni, quasi tu dicas: Psalmus in gratiam Salomonis scriptus. Quod idcirco a me notatur, ut ex eo magis intelligatur verum esse quod dixi, ista quamvis in speciem acerba et lugubria, re tamen esse laeta et felicia, neque magis contra Edom dicta, quam pro Edom esse accipienda: ejus enim impietatis gratus, et optandus interitus, et ad melioris vitae frugem ejusdem conversio felix his figuris verborum atque sententiarum praedicatur. AD EDOM, de Edom qui sit, superius satis multa diximus, quibus addi nunc debet novem Prophetas de Edomis loquutus fuisse rebus. Primus Balaam, cujus est in libro numerorum praedictio (2). Post hunc David in psalmos LIX et CVII (3), eum sequutus est Abdias, cui Esaias successit in LIV (4). Esaias Joel in III (5). Postea Amos in capitibus I et II (6). Septimus fuit Jeremias in capite XLIX (7). Octavus Ezechiel in XXV et XXXI et XXXV (8). Nonus et ultimus Malachias in I (9). Quod argumento est mysterium aliquod latere, idque minime contemnendum in ista Edomis voce, et omnino aliquid in ea subesse altius, quam quod Edom vocabulum proprie acceptum significat. Nam de proprie Edom causa non erat, quare in sacris Litteris tam accurate et tam multis ageretur, cum praecipue maximus earum litterarum scopus Christus sit, et ea sola quae ad Christum quoquomodo pertineant. Quod si verus Edom non fuit a tam multis vatibus tam copiose scribendus, sequitur profecto eorum Prophetarum scripta ista, maxima ex parte ad figurate Idumaeos esse referenda, quod et supra posui verum mihi videri, et nunc certe ve-

(1) Psal. LXXI. (2) Num. XXIV. (3) Psal. LIX et CVII. (4) Esai. LIV.
 (5) Joel. c. III. (6) Amos. I et II. (7) Jere. c. XLIX.
 (8) Ezec. XXV, XXXI et XXXV. (9) Malac. c. I.

rum esse facile persuadeo mihi vel hoc uno argumento. Sequitur:

3.—Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit. Surgite, et consurgamus adversus eum in praelium. Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde.

Quidam, quo magis perspicua haec oratio reddatur, cum superiori illam oratione conjugunt, atque ita copulant, ut duobus superioris orationis membris duo item hujus orationis membra respondeant, singula singulis, et priora prioribus, hoc videlicet modo. VISIO ABDIAE, cui statim adjungunt, AUDITUM AUDIVIMUS A DOMINO, ET LEGATUM AD GENTES MISIT. SURGITE ET CONSURGAMUS ADVERSUS EUM IN PRAELIUM. Quod hoc ipsum sit, quod se vidisse dicit Abdias, nimirum Dominum loquentem, suumque ad gentes legatum mittentem, eas ut excitaret ad bellum Idumaeis inferendum; ipsumque legatum excitantem eas his vocibus: SURGITE ET CONSURGAMUS ADVERSUS EUM IN PRAELIUM. Post quae illa superiora ponunt: HAEC DICIT DOMINUS AD EDOM, quibus adnectunt: ECCE PARVULUM DEDI TE IN GENTIBUS, quaeque postea sequuntur, quasi haec illa sint quae ad Edom Dominum dicere scribit. Ergo sanctus propheta primo explicat quid ipse audierit ac viderit. Deinde ad Idumaeos ex persona Dei conversa oratione gravem eorum interitum atque vastationem praenunciat: in quo rectum ille quidem et reliquis vatibus familiarem docendi ordinem sequitur, ut scilicet scripturus ea, quae erant eventura Idumaeis, fontes prius unde ista manarent, exponeret, id est, declararet unius Dei nutu atque consilio cuncta imitti. Nam quamvis, earum quidem rerum, quae ad beatam vitam consequendam spectant, nulla fere sit cujus Deus doctrinam in sacris Litteris non incluserit, tamen sunt quaedam summa veluti capita ejus doctrinae, in quae tanquam in scopum omnis earum litterarum institutio di-